



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De fide instrumentorum. Consilium CXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

mentarijs. † Cujus depositio ob id minorem fidem non meretur, quod deponat per verbum videtur: nam dicit omnino id sibi videri & firmiter se credere; quæ duo conjuncta plane assertionem aper- tam & minime dubitatam constituunt, præsertim accedente sensu corporis, quia scilicet dicit se fuisse præsentem, cum exhiberetur & recitaretur, quodque viderit D. Ioannem additionem illam ex nuncupatione testatoris scribentem: nam ex conjunc- tione intellectus & sensus corporis, assertio, non dubitatio constituitur, *Bart. in l. Quid tamen §. si ar- buer. De recep. arb. Felin. in c. De catero. in princ. de homo. etiam si testis per verbum credo vel videtur de- ponat, Bald. in l. Conventicula. C. De Episc. & cler. Socin. fallen. 407. nu. 5. & 6. & fallentia 424. Ant. de Butrio in c. Quoties de testib. Et si quid deest hujus depositioni, id suppletur primum ex depositione Nicolai Blox, qui de identitate chartæ quoque de- ponit, quatenus illa continet ea, quæ manu testa- toris scripta fuerunt. Cujus testimonio consonant testimonia Ioannis Pieters, & Iacobi Houtmaers: & de manu Ioannis Maes Notarij conformiter deponunt Petrus Daens, Petrus de Haeste, & Wil- helmus Vost: quæ sic conjuncta ad plenam proba- tionem sufficere debent, propterea quod alter testis testamentarius & Notarius decesserint. Et sanè probatio manus dicti Ioannis Maes, qui postero- rem partem dictæ sedulæ scripsit, & hic scripturæ extremam manum imposuit, sufficere debet, ad hoc, ut constet de ultima voluntate, & inde con- ficiatur instrumentum. * Quamvis enim tria sint quæ ad perfectionem publici instrumenti re- quiruntur, primum, ut contineat locum & tempus actus gesti & ascriptionem testium; secundum, quod contineat perfectionem actus; & tertium, subscriptionem Notarij: in imbreviatura tamen duo priora sufficiunt. * Quod enim plerique etiam Notarij subscriptionem desiderant, *Bart. in l. Con- tractus C. De fide instrum. Angel. conf. 220. Ad hoc ut. Ant. Bubeus conf. 94. Viso & diligenter, ab alijs in con- troversiam rapitur; & sunt non pauci, Bald. in l. fideicommissa §. 1. De leg. 3. Cynus in d. l. Contractus, in fine & ibi Salic. qui desiderari quidem, sed cum deest, obesse non putant; quasi signum sit indifferens, si alioqui de rogatione, testium adhibitione, manu Notarij, actus interpositione & perfectione con- stet. * Vnde cum de manu Notarij constet per testes evidenter; constet quoque de testium & No- tarij adhibitione, & in extremo fine adiecta sint hæc verba, Actum 25. Septembris anno 1558. plena fides protocollo adhibenda est, tam ad probatio- nem ultimæ voluntatis, quam ad hoc, ut inde publicum exemplum autoritate judicis conficia- tur, *Parorm. in c. cum v. Tabellæ nu. 3. & ibi relin nu. 5. De fide instrum. Alex. conf. 14. nu. 8. Visis & considera- tis vol. 6. prout utrumque in causa conventionali pro parte Elizabethæ petitum est. Atque ita in specie cum huic omnino simili respondit Paulus Castrensis, conf. 307. Ad primum quæsitum vol. 1. cuius responsi materia elegans est, & velut in indivi- duo hanc causam decidit: ideoque non grava- bitur D. Assessor ad illud confugere. Respon- dit quoque in non absimilibus terminis Ange- lus Perusius, conf. 400. Testator sua propria, qui omnibus diligenter excussis, tandem resolvit, testa-***

mentum valere & imbreviaturam in folio scriptam sustineri: ita ut non possit dici esse præparatio quæ- dam ad testandum (quo casu non valeret, ne qui- dem ad faciendam publicationem instrumenti, d. l. fideicommissa §. 1. de leg. 3. l. Ex ea scriptura Dete- flam.) sed vera & perfecta testatio. * Quod proclivius hic dicendum, ob id, quod propter mortem Notarij statim post hanc testationem sub- sequentem factum sit, cur hæc imbreviatura non sit registrata in libro protocolorum dicti D. Ioan- nis: quæ mortis consideratio hoc quoque facit, ut nihil obstat omissioni subscriptionis dicti Notarij: nam quamvis aliàs scriptura Notarij viventis carens subscriptione & signo fidem non faciat, si tamen Notarius sit mortuus, potest ex imbrevia- tura carente ea solemnitate instrumentum confici; & sic mors Notarij habet vim subscriptionis & signi, ut ex Alexandro, d. conf. 14. vol. 6. & Fran- cisco Curtio juniore, conf. 162. Habitu nu. 1. anno- tavit Aymo Cravetta, conf. 158. Visis acti nu. 7.

Quod obijciatur de diversitate manuum, nihil nocet; quia ex depositionibus testium constat pri- mam partem à testatore antea pro præparatione & faciliore expeditione scriptam; & posteriorem Notarium cum adjectione finalis particulæ (quæ extremam perfectionem & absolutionem actus contineri diximus) scripsisse; à qua posteriore scri- ptura prior vim & robur accepit, *Angel. d. conf. 400. nu. 6.* Quod item de inductionibus profertur, nihil est: nam non sunt in loco substantiali, neque sub- stantiam rei immutant; utpote delentes nomina testium, quos testator adhibere prius constituerat, & consulto factæ sunt, ob id, quod coram ijs testi- bus, quos testator in præparata scriptura adhibere constituerat, non sit facta hæc nuncupatio, sive quia testator ita non potuit ob eorum absentiam seu alias causas; sive quia noluit: cum mutandæ voluntatis eatenus liberrima sit potestas. Quæ, meliore iudicio semper salvo, sufficere arbitramur ad sublevandos labores venerabilis D. Assessoris, & adjuvandum causam pauperulæ, quæ D. Hen- rico sacerdoti ac patrono inserviando relicta residui optimè promerita est; ita ut nihil sit, cur pars adversa id ei invidere debeat: quæ cessante te- stamento nihil profusus ex bonis Domini Henrici ablatura erat; cederent enim eo casu omnia Epi- scopo, ut communis habet observatio.

De fide instrumentorum.

SUMMARIUM.

Instrumenta antiqua.

1. I. Fructus pignoris in sortem imputantur.
2. Præscriptio quando currat contra ius lucendi vel pigno- rariam actionem.
3. Præscriptio de presenti in præteritum, sed non à contra.
4. Locatio dominium non probat.
5. Exempli instrumentorum credi non debet.
6. Probationes sunt arbitraria.
7. Antiquitas admittit leviores & præsumptivas proba- tiones.
8. Enumerativa verba in antiquis probant.
9. Antiquis instrumentis fides quomodo habeatur.
10. Registra collegiorum probant.

CON;

CONSILIVM CXV.

PROBABILITER multa utrinque adferri posse videntur in controversia, quæ exorta est inter insigne Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ Colonienſis, ac Reverendum Dominum Abbatem S. Cornelij Indensis, super proprietate ac jure decimarum loci de Gressenich; Capitulum contendente, eas ad se pertinere, & apud dictum Reverendum Dominum Abbatem esse ab anno 1452. non jure antichresios, cum emolumento perceptionis omnium fructuum dictarum decimarum pro usu fortis 400. florenorum *l. Si u qui bona §. 1. De pignori*, pro quibus dictum Capitulum dicit se in anno 1450. annum redditum triginta duorum florenorum dicto Reverendo D. Abbati constituisse; sed jure nudi & absolute soluti pignoris, * ut percepti fructus ex his decimis à tempore, quo ad dictam Abbatiam illarum possessio pervenit in solutionem redditus, & quanto illo majores fuerint, in diminutionem fortis cedant: ut regulariter fructus ex pignore percepti sortem diminuere solent, *l. 1. & 2. C. De pig. actione l. 2. c. De pactu pignori. Mar. Socinus consil. 20. In facto nu. 5. vol. 3.* Reverendo Domino Abbate ex adverſo contendente has decimas pleno jure ad suam Abbatiam pertinere; nec hunc titulum suæ possessionis, quem Capitulum prætexit, agnoscente.

Pro assertione Capituli quinque proferuntur; primum, admodum antiquum documentum sigillatum, quo continetur aut apocha, aut reverſalis, ut dicunt, recognitio ejusdæ Wilhelmi van Franckenhoven; per quam in anno Domini 1285. recognovit se à dicto Capitulo maiorem & minutam decimam in Gressenich accepisse pro annua pensione centum maldrorum avenæ. Secundo, extracta ex Registris dicti Capituli, quæ significant quòd anno 1440. & aliquot sequentibus Reverendus Dominus Abbas in conductio habuerit hanc decimam pro septuaginta maldris avenæ. Tertiò, nuda copia recognitionis seu constitutionis, quam dictum Capitulum præstet Abbati in anno 1451. fecit de annuo redditu triginta duorum florenorum Germanicorum annuorum pro 400. consumilibus florenis, ad rationem scilicet bestium usurarum; promittendo dicto in anno pro centum, cum obligatione omnium bonorum dicti Capituli, & specialiter dictæ decimæ in Gressenich, cum facultate injiciendi manum dictæ decimæ seu apprehendendi illam cum suis emolumentis pro implemento dictæ recognitionis. Quarto, rursus extracta ex Registris dicti Capituli continentia declarationem per multos annos repetitam, ab anno scilicet 1480. usque 1513. deficientibus tantum aliquot intermedijs annis, quod dicta Abbatia pro ijs annis jure pignoris dictam decimam possederit; repetitâ semper mentione antiquæ pensionis septuaginta duorum maldrorum avenæ. Quintò, profertur clausula ex instrumento concordie in anno 1483. inter Illustrissimum Dominum Hermannum Archiepiscopum Colonienſem, & Metropolitanum ejus Capitulum initæ; in qua inter cætera in catalago seu numero bonorum dicti Capituli (quæ ob præcedentia bella alijs pignori data, aut relicta erant) specificatur hæc decima assignata Abbati S. Cor-

nelij pro 400. florenis. Sic quod in concursu horum omnium existimet Capitulum Colonienſe satis constare de jure proprietatis in & ad dictam decimam, nullamque præscriptionem obſtare; † cum pignoratitia actioni non præſcribatur, nisi ex die, quæ res pignori esse desiit, cum nascatur tantum ex solutione, *gloſ. in l. Si rem alienam §. omni. De pig. actio.* & juri luendi pignus communiter non præſcribatur late Ioan. Ignem. in l. In cognitione nu. 76. usque ad nu. 174. Ad S. C. Syllan. Bald. cons. 341. super eo quod queritur vol. 1.

Pro oppositione Reverendi Domini Abbatis stare videtur probationum, quæ ex adverſo proponuntur imperfectio quarum conjunctio, quia diverſi generis sunt, admittenda non videtur Recognitioni enim seu antapochæ Wilhelmi de Frænkenhoven nimia antiquitas, & insequentis tēporis rei, de qua controversitur status, detrudere videtur. † Etſi enim ex præſenti rei statu in præteritum, ex præterito tamen in præſentem, non perinde ducitur aut trahitur juris præſumptio; cum præſens rei status ab eo, qui in præterito tempore fuisse dicitur diverſus est, *Salic. in l. Ex. persona. c. De probat.* quodque Dominus Abbas pro suo possideat, & ultra tempora præſcriptionis pro suo ipſe, ejusque prædeceſſores possideſſe dicantur. Unde etiam adverſus pignus, & jus luendi utile initium præſcriptionis recte duci solet, priore causâ possidendi mutatâ, & ipſi debitori interverſa causâ possessionis; quod in ſucceſſu ac longitudine temporis etiam bonâ fide fieri potest, in hærede & quocumque creditoris, in quem jure pignoris res pervenit, *l. velleſſore, l. ult. d. proſuo;* † cum alioqui 4 locationes antecedentes fragilæ per se probandi dominij & proprietatis argumentum contineant; & nihil veterem rem alienam etiam locari, *l. Ad probat. nem c. De locato & cond. si quæ ea locatio, quæ dicto antiquo instrumento continetur, facta alteri tertio, non dictæ Abbatie, cui res inter alios acta obesse non debet, sit. C. Res inter alios acta. & c.* Nihil etiam faciente copiâ instrumenti constituti redditus & assignati pignoris harum decimarum; cum privata sit ſcriptura, & minimè authentica, alteriusque quod non profertur, dumtaxat exemplum, cui fides adhiberi non solet, *l. 2. De fide instrum.* Quæ exceptio rectè etiam obijciatur clausulæ extractæ ex instrumento concordie inter illustrissimum Archiepiscopum & Capitulum, cum illius originale & authenticum instrumentum non proferatur. * 5 Denique nec extractis ex Regestis Capituli quicquam tribuendum videtur, quia contineant velut domesticam ac privatam ad proprium emolumentum annotationem, cui credi exemplo pernitiosum dicitur, *l. Instrumenta, l. Exemplo. C. De probat.* Ita quod cum Reverendus Dominus Abbas ejusque Abbatia pro suo hanc decimam possideat, hoc est. ultra centum annos sic possideſſe bona fide existimet, *c. Ad aures De præscript. in imperfectione* aut saltem obſcuritate probationis pro Reverendo Domino Abbate possessore potiùs præſumendum sit, & apud eum harum decimarum possessio, quamdiu dictum Capitulum liquidius non probaverit suum jus dominij, relinquenda, *l. 2. C. De probat.*

Cæte-

Ceterum probabilior nobis videtur dicti Capituli causa: etsi enim verum sit, quod possessori non incumbat necessitas probandi rem ad se pertinere, cum in probatione penitus cessat, qui rem vindicat d. l. 2. C. De prob. §. commodum. Insuper de iudicis; nec aliquid profert, unde iudex animi sui motum ita possit componere, ut auctori credat: cum tamen ex parte Auctoris et proferuntur, quæ iudicem ad credulitatem inducunt, propius est, ut ex parte rei ac possessoris si non necessarium, saltem utile sit possessionis causam dicere, ac probare; præsertim in monasterijs, collegijs, similibusque corporibus, in quibus ducentorum aut trecentorum annorum documenta facile proferri possint. Itaque cum non difficile esse videatur Reverendo Domino Abbati proferre suæ Abbatiæ Registra, unde constare possit, an ante centum annos in eorum bonis saltem putative fuerint hæc decimæ, an vero illas conducti titulo primum, post deinde pignoris loco possederint, etiam si instrumenta constituti redditus (quæ apud Reverendum Dominum Abbatem inveniri negantur) non proferantur, vel prolatæ nullam mentionem harum decimarum contineant; proclive erit, ut præ Capitulo contra Abbatem assumatur præsumptio; potissimum quia probationes, quas nunc præfert Capitulum per se singulæ non sint tam imperfectæ nec imbecillæ, quin facile vir bonus ex ijs ad credulitatem inducatur. ¶ Probationes enim arbitrarie sunt, l. 3. §. 1. De testib. Jacob. Menoch. de arbit. iud. sentent. lib. 2. centur. 1. casu 90. & ex iudicis religione magis, quàm certâ definitione dependet, quid pro probato habendum sit, 7 quid non. ¶ Et in antiquis (qualis est hæc causa, cuius origo terminum centum annorum excedit l. fin. C. De sacros. Eccles.) propter difficultatem probationis sufficiunt etiam præsumptæ, Bald. in l. cum super C. de rei vindic. concurrentibus præcipue multis ac verosimilibus præsumptionibus ex quarum concursu propter pluralitatem probatio induci solet, l. Excipiuntur Ad S. C. Sylva. l. 2. §. atas de excus. iur. Lud. Rom. conf. 7. Visis necessarijs m. 3. Hinc cum in re proposita proferatur harum decimarum locatio per Capitulum Wilhelmo van Franckenhoven facta; idem quoque significant annotationes in regestis Capituli de præcedentibus locationibus, atque etiam de locatione olim dictæ Abbatiæ factæ; & tandem de oppignoracione earum decimarum cum commemoratione eius, in rationibus Capituli semper repetita mentione dictæ oppignoracionis, eoque etiam tendat concordia inter Reverendissimum D. Archiepiscopum Coloniensem & ejus Metropolitanum Capitulum, in qua dictæ oppignoracionis mentio quoque refricatur; & denique proferatur copia instrumenti constituti redditus & oppignoracionis prædictæ: sufficienter intentio dicti Capituli probata videtur; nullo ex adverso pro parte Reverendi Domini Abbatis allato, unde improbabilitas aliqua dictæ inventionis desumi aut constitui possit, Molinæus ad consuet. parisien. tit. 1. §. 5. nu. 21. Nec sanè singulorum, quæ in hoc concursu conspiciuntur tanta est imbecillitas ut ad probationem non sufficiant: nam cū authenticum sit instrumentum dictæ antapochæ, continens locationem de his decimis ante ducentos annos factam, per se plenam fidem

meretur, & pro probata probatione accipi debet, l. Cum precibus C. De probat. cum publici instrumenti formam & effectum habeat. * Et quamvis contingat rem non inter Capitulum ac dictam Abbatiam seu Dominum Abbatem pro tempore, sed cum alio actam; tamen propter antiquitatem temporis, etiam si enuntiativa tantum, non etiam dispositiva (qualis est in dicto instrumento) mentio dictarum decimarum, & locationis earumdem contineretur, in proposito Reverendo Domino Abbati obesse debet, gl. in V. instrumentis in c. cum olim De censibus. Aut. de puriorum c. fin. de success. ab intestato. Dominicus in c. Si papa De priv. l. lib. 6. quoad hoc, ut inde constet has decimas a Capitulo locatas fuisse. Quæ consideratio quoque efficit, ut eadem potestas tribuenda sit dictæ concordie; in qua quamvis ad alium finem dicatur de oppignoracionis his decimis dictæ Abbatiæ, veritas tamen narrationis in tanta antiquitate temporis præsumitur; præsertim cū recognitio factæ huiusmodi oppignoracionis sit contra Reverendum Dominum Archiepiscopum consistentem, l. Generaliter. C. de non num. pecunia; nullaque sit dubitatio, quin de veritate oppignoracionum aliorum plurimorum bonorum, quorum mentionem facit eadem concordia, facile doceri possit: si quod, quamvis nunc nuda tantum copia illius concordie proferatur, verosimile tamen sit authenticum & originale, facta diligentia inquisitionis, etiam proferri posse: & ut non possit, præsumptionem facere debeat non levem concordans rei veritas in alijs, etiam si huius oppignoracionis veritas aliter demonstrari non possit; consonante præsertim & eodem tendente exemplo seu copia constituti redditus, pro sorte 400. florenorum, sub speciali harum decimarum hypotheca, additâ facultate injiciendi manum, si redditus non solueretur. Quam conventionis legem dicta Abbatia, non ita diu post constitutum redditum exercuisse videtur, ut colligere licet ex annotationibus anniverfarijs seu singulis annis factis ex regestis seu libris rationum dicti Capituli. * Sic quod in hac tanta consonante plurium circumstantiarum concurrentia pro veritate dicti exempli omnino præsumendum sit; præsertim cū nulla sit præsumptio, quod tam insigne Capitulum falsis suppositisque instrumentis in re, quam nedum probabilis, sed etiam omnino verosimilem facit antecedentium sequentiumque consonantia, causam suam asserere vellet: potissimum cū, ut proponitur, prædicta instrumenta partim authentica, partim exemplata (quamvis sine juris solemnitate) ex archivijs ac penetralibus dicti Capituli proferantur: quibus quamvis nuda sint & subscriptionem Notarij vel testium aut sigilla non debeant, fides tamen adhiberi debet ex antiquitate temporis, Auth. Ad hæc C. De fide instrum. c. Ad audientiam De præscript. l. Moris §. solet De penus. Lud. Rom. conf. 165. Liber registri, quæ in re, ejus origo & initium centesimum annum excedit merito constituenda, Alex. in l. Cum aliquis C. de iure delib. Paulus Castr. consil. 139. pro declaratione. nu. 5. vol. 1. Quæ dubitationem habere non debet, ob id, quod valde suffragantur dicti Capituli Registra, seu libri rationales, qui & ipsi antiqui & ordinatâ serie conscripti sunt. ¶ Quamvis enim privatorum hominum rationa-

rationalibus libris ita non credatur d. l. *Exemplo l. rationes C. de probat. monasteriorum* tamen, Capitulum, aliorumque Collegiorum libris huiusmodi continentibus redditum, bonorum, pensionum, censuum, ac solutionum annotationes solemnes continuâ præsertim serie scriptas, fides adhibenda est, l. *Census de probat. d. c. Ad audientiam, Roman. d. conf. 163. & conf. 127. Posito quod: cum huiusmodi libri per Officiales collegij vel monasterij non ultrò vel ad proprium privatumque commodum, sed ex necessitate officij in re magis aliena conscribantur, Bart. in l. Nuda ratio de donat. & in l. Quedam §. nummularios de edendo: quodque de veritate huiusmodi inscriptorum in dictis libris seu Registris, quoad has decimas, aliqua ex parte liquidò constat; videlicet ex dicto reversali instrumento Wilhelmi Franckenhoven. Sic quod ex probata veritate dictarum rationum in una parte, seu, ut dicunt, partita, juris præsumptio fiet pro veritate aliarum particularum, Paul. Castren. conf. 301. ad bene examinandum n. 3. vol. 1. l. 1. in l. admonendi nu. 24. de iur. iur.*

Quando itaque Reverendus Dominus Abbas de veritate nos consulit, & litem diffugere, quàm sequi malit, consultius putamus, ut aliqua equabili transactione hanc controversiam cum dicto Capitulo componat, etiam si restituta sorte prædictarum decimarum possessio relaxanda esset, potius quàm in periculum se deducat, ne ferente lite ex parte Capituli duriora proponantur quoad reddendas rationes perceptorum omnium fructuum, 11. † saltem usque ad modum septuaginta maldorum avenæ, quæ procul dubio annuam quantitatem triginta duorum florenotum annuorum excederent, & quatenus excedunt in diminutionem fortis seu capitalium denariorum imputanda essent, l. 1. & ult. C. de pignor. actione: non enim ut diximus, antichresis propriè constituta dici potest dicto monasterio, sed tantum facultas injiciendi manum in defectum solutionis; unde causatur tantum communis pignoris possessio, cum facultate percipiendi fructus, eosque primum in redditum, deinde pro eo quod superest in sortem imputandi: potissimum quod pro tam exigua sorte tam magnus redditus, ne Nobilibus quidem, l. *Eos §. super usurarum C. de usur. multò minus Ecclesiasticis* permissus videatur. Scimus multa ex parte Reverendi Domini Abbatis ex scholasticis disputationibus, ac studio contentionis proferri posse, quæ sustinendæ litis probabilitatem aliquam habere possent, sed ad boni viri arbitrium iudiciumque collimando pro dicto Capitulo stare videtur rei propositæ veritas, cui omnia cedere debent.

De fide instrumentorum.

S V M M A R I U M.

Instrumenti subscriptio.

1. Probationes arbitrio iudicis relinquuntur.
2. Error calculi semper emendari potest.
3. 5. Subscribens instrumento quando approbare consensit.
4. Falsitas instrumenti in parte, vitiat in toto.
6. Subscriptio non semper habet effectum obligandi.
7. Iuramentum nihil probanti deferendum non est.

8. Iniquus in modico, in toto iniquus censetur.
9. Mora procuratoris quemodo Domino noceat.
10. Causa permissio cessante cessat permissio.
11. Impletum videtur quod per alium fiat quo minus impleatur.
12. Interrogationibus Iudex uti potest.
13. Usura debentur ex mora.
14. Moram non committit, qui an debeat, ignorat.

CONSILIVM CXVI.

FACTI magis quàm juris quæstionem habet controversia, quæ est inter Bernardum van Etten Actorem, contra Petrum Vogels Reum, si ad rationes ipsas, & earum probationem respiciatur: ita ut non admodum opera nostra hic desiderari videatur: * cum quid probatum, quid non, iudicis arbitrio relinquendum sit, l. 3. §. 1. *Detestib. & in rationum supputatione* (in qua iudicis error & lapsus non admodum nocet, cum sine appellatione deprehensus error corrigatur quandocumque, l. 1. in princ. qua sent. sine appel. rescind. l. 1. C. de errore calculi) non tam juris ratio, quàm expensorum acceptorumque habeatur quia tamen in ea sumus sententia, ut existimemus Actorem bono iure viti, obiter aliqua pro illius deductione adferemus. Et in primis quidem ne via ad agendum præclusa videatur Actori, propter subscriptionem ab eo rationibus à Reo semel editis ex callida Rei machinatione appositam, dicimus huiusmodi subscriptionem minimè absorbere jus & facultatem in huiusmodi rationes inquirendi. * Est enim manifesta juris regula, errorem calculi, si emerit, veritati præiudicium non adferre, l. 1. §. *veritas de offic. præsidis: ideoque rationes etiam sæpe computatis denuo tractari posse, d. l. unica. C. de errore calculi; nisi vel res iudicata, vel transactio intercesserit, Ioan. De Anania conf. 6. Viso puncto; quæ hic non intervenit. † Neque ad rem facit quod subscribens instrumento aut rationibus videatur approbare omnia contenta, ac in superiore parte scripta, l. *Si ego. §. planè. de iure dot. l. videiussor §. pater de pignorib. Bart. & alij in l. Emptor §. Lucius de pact. habuisseque ejus notitiam, quod continetur in rationibus præscriptis, Bart. in l. 1. §. si quis neget Quemad. reslam. aper. nam id in dubio tantum præsumitur, etiam si quis circumventus subscribat, Bart. in d. §. si quis neget. Quod ipsum aperte probavit Actor non tantum per instrumenta, sed per Rei propriam confessionem, quæ omne genus probationis superat, l. *Generaliter C. de non num. pecunia. Confitetur enim Reus se pleraque velut expensa Actori computasse, quæ computanda non erant; non quidem levi, sed admodum crasso errore propter summarum, circa quas versatur huiusmodi affectatus error, magnitudinem. Cujus quidem deceptionis probatio facit, ut subscriptio hæc vires suas non servet in comprobandis his, quæ in scripta charta continentur, Alex. conf. 147. Ponderatis nu. 4. vol. 2. l. ason & alij in l. Inter stipulantes §. Chrysogonus nu. 14. de verb. oblig. † Quinimò detecta falsitate alicujus particularæ pro totius instrumenti falsitate præsumendum aut saltem subspiciendum est, Specul. tit. de instrum. edit. §. instrumentum ergo, versic. quid si ali- quod instrumentum, Alex. conf. 113. Viso & diligenter nu. 8.***